

*De nomine Curatorum rerum sacrar. ministris  
in ecclesia Romana dato*

# LITERAE ENCYCLIAE

QVIBVS

DE MVNERE SVPERINTENDENTIS  
DIOECESEOS ZVICCAVIENSIS  
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATO ET GRATIA  
DIVINA ADIVVANTE,  
D. XXX. IANVAR. A. MDCCLXIII.

SVSCEPTO

VIROS MAXIME ET PLVRIMVM REVERENDOS,  
PRAENOBILISSIMOS ET NOBILISSIMOS, CLARISSIMOS  
ET DOCTISSIMOS,

## PASTORES ET DIACONOS,

NEC NON

SCHOLARVM RECTORES ET MAGISTROS,  
COLLEGAS, FRATRES ET AMICOS DILE-  
CTISSIMOS EIVSDEM DIOECESEOS,


CERTIORES REDDIT,

AMOREM ET QVAEVIS OFFICIA IISDEM OFFERENS

## IOANNES GOTTFRIED WELLERVS,

PAST. ET SVPERINT. ZVICCAV.

ZVICCAVIAE, TYPIS HOEFERIANIS.



ARTS AND LETTERS  
ENCYCLOPEDIA

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
CHICAGO, ILLINOIS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILLINOIS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS  
CHICAGO, ILLINOIS

CHICAGO, ILLINOIS

CHICAGO, ILLINOIS



VIRI MAXIME ET PLVRIMVM REVERENDI  
PRAENOBILISSIMI ET NOBILISSIMI  
CLARISSIMI ET DOCTISSIMI  
COLLEGAE, FRATRES ET AMICI  
DILECTISSIMI

**M**emoria Viri summe reuerendi, amplissimi et doctissimi, SIEGFRIED BECKII, SS. Theologiae Doctoris celeberrimi, Pastoris primarii et Superintendentis Zuiccauiensis longe meritissimi, mentibus nostris, vti par est, adhuc infixi haeret. Qui dum pietate maxime conspicua, candore animi insigni, comitate et humanitate perquam amabili, studio pacis valde proficuo, in rebus agendis solertia laudabili, rerum theologiarum cognitione egregia omnibus, quousque viueret, se maxime commendabat, inde omnino dignissimus habetur, vt eius nomen post fata conseruari et coli debeat.

Quo vero fene et patre venerabili defuncto, summi Numinis singulari fauore et gratia FRIDERICI AVGVSTI, Regis Poloniae Potentissimi et Electoris Saxoniae Serenissimi, Regis et Domini nostri Gratiostissimi, factum esse, vt ego, ab Amplissimo Senatu Zuiccauiensi vrbis eiusdem Pastor designatus et vocatus, Superintendens

dens Dioeceseos eidem adscriptae constitutus fuerim, Vos Fratres et Amicos haudquaquam latere, non conicio, sed certo scio. Hoc munus clementissime demandatum ingressus, de accessu meo Vos certiores reddere, necessarium, et simul eum, quo erga Vos affectus sum, animum, studium ad commoda Vestra promouenda promissimum, colendi regnum Christi propositum ferium, testari, eo magis meum esse duxi, quo magis mihi gratulor, me hoc inter Vos munere fungi, quod ea officiorum genera maxime efflagitat. Patre enim, uti plerisque Vestrum constat, V. D. Ministro, huic dioecesi addicto, viro integerrimo, usus, per plurimos annos inter Vos versatus, ante duos annos egressus ad Vos redeo, eaque de re laetus, amore Vos ut complectar, me obstrictum esse intelligo, amore quoque a Vobis me receptum iri confido.

Ne *ασυμβολως* vero accedam: de dignitate muneris nobis concrediti dicere, et nos inuicem ad solertiam in eo administrando necessariam excitare cogito, praemissa dissertatiuncula de nomine quibusdam rerum sacrarum ministris in ecclesia Romana dato, cuius explicatio nobis ad eas, quae statim adiectae sunt, admonitiones viam pandet.

Et id quidem est nomen *Curatus*, generi cuidam ecclesiae Romanae Clericorum proprium, nec forsan in illa hoc tempore plane abolicum. In ista namque ecclesia solitum esse Clericos quosdam *Curatos* denominandi morem, controuersia probat Lutetiae Parisiorum hoc saeculo inter *Curatum* ecclesiae S. Bartholomaei et Parochianorum suorum plurimos exorta, qui, societate S. S. sacramenti instituta, ius Confessionarium ex propria volun-

luntate, ordinario Presbytero praetermissio, eligendi quaerebant. (a)

Antiquiori vero aevo in vsu fuisse hoc nomen, ipsum Ius Canonicum declarat, dum in Decretalium summariis et alibi saepius illud occurrit. (b) Ad Acta praeterea synodalia Brandenburgica, vocis *Curatorum* vsum exposituri, prouocamus. Ibi enim in Statuto A. 1360. promulgato mentio fit *Curati* et legitime inuestiti, et in alio decreto A. 1437 sacerdotis *Curati*, qui et alio loco a Presbytero non *Curato* distinguitur. (c) Ioannis quoque Pontificis XXII diploma, Auinione A. 1320 scriptum, allegamus, quo proprius nominatur sacerdos, quem dicunt esse parochialem *Curatum*. (d) Huc insuper Beneficia *Curata* et non *Curata*, nec non ecclesias *Curatas*, dignitatem *Curatam* ac Parochiam *Curatam*, in literis et scriptis Iuris Canonici occurrence, pertinere, concedendum erit. (e)

Quae dum explicanda est denominandi ratio, libri, qui se antiquitate commendat, initium ante omnia apponere lubet, quod est: *Incipit feliciter doctissimi ac famosissimi viri Domini Guidonis de Monte Rotherii liber, qui Manipulus Curatorum vulgariter appellatur, in quo per necessaria officia eorum, quibus cura animarum commissa est, secundum ordinem septem sacramentorum breuiter pertractantur.* (f)

) 3

Inde

(a) v. Unschuld. Nachricht. A. 1708. p. 585.

(b) v. c. 17. X. de filiis presbyt. c. I. X. de officio Vicar. etc. v. etiam de Cler. coniug. C. si pro clericis, Lib. 6. etc.

(c) v. Fortgef. Samml. von Alten und Neuen Theol. Sachen. A. 1750. p. 803. et A. 1751. p. 24. 147.

(d) v. Altes und Neues aus allen Theilen der Geschichte, P. V. p. 678.

(e) v. Fortgef. Samml. A. 1750. p. 805. 937. et A. 1751. p. 23. P. D. Longolii, Si-

chere Nachricht, v. Br. Culmb. P. VII. p. 182. P. VIII. p. 71. Io. Koelner de Vanckel in Summariis et Conclusionibus super Vitum. q. 2. 6. opere antiquissimo et carissimo, quod Coloniae A. MCCCCLXV. impressum esse, sed falso, dicitur.

(f) Qui liber, vti praefatio docet, concinnatus est Thurolii, A. MCCCXXXIII. ea vero, quae in manibus, editio impressa Basileae per Nicol. Lamperter, alias saepius, etiam 1473. vid. Mich. Maitaire Annal. Typogr. T. I. p. 464.

Inde clarissime patere puto, eos dici *Curatos*, quibus animarum cura commissa est, et Beneficia *Curata* ea esse sacra officia, quae efflagitant, ut ii, quibus concredita sunt, salutem animarum procurent, ecclesias vero *Curatas*, alias parochiales vocatas, certum hominum numerum adscriptum habere, qui curam animarum Presbytero specialiter committere tenentur. Quacum explicatione Ius ipsum Canonicum consentit, quod *Curatum* Beneficium explicat id, quod cum animarum cura tenetur, et id dicit, habens curam animarum annexam. (g) Inde nomen *Curatus* ex latina quidem lingua desumptum esse, sed a forma Grammatica, quae proprie ipsi competit, aberrare cognoscitur, ut hinc alia et usus linguae magis conformi voce exprimi et, teste Fr. Duareno, eos *Curiones* dici voluerit Guilielmus Budaeus, quos vulgo *Curatos* denominabant. (h) Qui et proprii sacerdotes alias vocantur, Rectores etiam ecclesiarum, nec non Regentes et Officiantes. (i)

Cura quippe animarum non omnibus beneficiis ecclesiasticis (k) connexa erat, quae a Bonifacio VIII, Pontifice Romano, in ea, quae cum cura, et ea, quae sine cura, dilucidis verbis diuiduntur (l); sed iis tantum sacerdotibus competebar; qui ecclesiae, quam dicunt parochialem, praerant, et eius regimen, stilo antiquioris temporis (m), tenebant. Quae quidem diversa ratio tum  
in

(g) v. de Praeb. et dignit. c. si tibi concessio. et c. Licet Episcopus Beneficium. in Vltio. vid. etiam c. 18. X. de filiis Presbyt. ordin.

(h) v. Fr. Duareno, de Beneficiis Eccles. L. II. c. VII. p. m. 166.

(i) v. Altes u. N. I. c. De Praebendis c. suscepti regiminis. in Vltio. Chr. Schoetgenii et M. G. C. Kreyfigii Diplom. P. II p. 232. 285. etc.

(k) Beneficia ecclesiastica in ecclesia

Romana vocari certam illam redituum portionem, seu fructus ex bonis ecclesiae dicatis, quae cuique sacerdoti ratione ministerii sui ecclesiastici attribuantur, et simul officia sacra eiusque reditus completi, notum est. v. C. Ziegleri Praelect. in Decretal. p. 9.

(l) v. Extrav. commun. c. I. de Praeb. et Dignit.

(m) v. C. Schoetgenius et M. G. C. Kreyfigius, l. c. p. 455.

in ecclesiis ipsis earumque diuersis qualitatibus, tum in munere sacerdotali quaerenda venit. Quibusdam enim sacerdotibus non totius templi et omnium ad id spectantium rerum sacrarum administratio, sed vnicum ibi constructum altare commissum erat, qui a cura animarum liberi, et missis tantum more consueto legendis occupati, non *Curati* nominabantur; Beneficia vero eorum simplicia erant. (*n*) Et quod ea, quae Capellae dicuntur, sacra loca Baptisteriis, locis ad confessiones audiendas destinatis, etiam Coemeteriis destituta (*o*), nullam annexam habebant curam animarum, non *Curatorum* nomine notabantur. Maiorum vero parochialium ecclesiarum alia est conditio, quae Paroeciam habent et certam populi portionem assignatam, cui sacris ibi vti competit, Presbyteris vero, qui eas regunt, Decimae (*p*) et Iura, quae dicuntur Stolae, debentur.

Curam animarum ipsam quod spectat, quae Romanae ecclesiae Presbyteris *Curatis* incumbit, in eo potissimum consistit, vt populi confessiones audiant, delicta confessu examinent et confitentibus satisfactionem pro peccatis suis praestandam iniungant. Quam ob causam *Curatis* istis in Iure Canonico Iurisdictio quaedam spiritualis adscribitur (*q*), quae et poenitentialis fori potestas alias dicitur (*r*), et *Curatis*, seu propriis sacerdotibus, aliis exclu-

(*n*) v. *Fr. Duarenus* l. c. p. 167.

(*o*) v. *P. D. Longolius* l. c. P. VIII. p. 238.

(*p*) v. *Fr. Duarenus* l. c. L. VI. c. I. p. 357.

(*q*) v. de Praeb. et Dign. c. super eo quod, Lib. VI. *Io. Koelner de Vanckel* in libro rarissimo supra laudato Prae-

bendorum mentionem facit, cui annexa est ecclesia parochialis, in qua aliquis habet de consuetudine Iurisditionem et sic animarum curam, ad Tit. de Praeb. et Dignit. q. 2. 6.

(*r*) v. *Fr. Duarenus* l. c. L. II. c. VII. p. 166.

exclusis, competebat. (s) In quo tamen iure a Monachorum ordinibus vario modo turbati sunt. (t)

Et isti sunt *Curati*, et ea est huius denominationis ratio. Quod quidem nomen ecclesiae nostrae Evangelicae non penitus ignotum est. Etsi enim isto latino non utimur; vernacula tamen expressum lingua, sensu multum eminentiori, quam in Romana solet ecclesia, saepius adhibetur, id quod voce fit: *Seelensorger*, verbi diuini ministris propria et de cura animarum, quae ipsis incumbit, grauius eos admonente. Nostrum sane est, Fratres et Amici Amantissimi, de eo prae aliis egregio et praegnantia nomine gloriari, animo id infigere, eius omni die et hora recordari, et, dum id fit, cogitare, qua dignitate hoc, quod nobis commissum est, praepolleat sacrum munus, infimul, quam difficile, eo rite fungi, et quam graue sit onus, nobis animarum curatoribus impositum.

Anima enim quid, quaeso, in tota rerum natura magis excellens et maiori pretio habendum, quidue ei praefendum est? Quippe quae omnis materiae experts, et inde corruptioni nulli obnoxia, omnibus, quibus coelum fulget, corporibus magnificis antecellit, a Deo quoque immediate originem ducens, et, ad Deum ut redeat, destinata, omnibus animatis, quae terram implent, praestat. Anima praeterea, quae imaginem diuinam quandam in se expressam habuit, et eius reliquias adhuc seruat, diuinitati prae aliis omnibus rebus creatis proxime accedit, et ad gloriam aeternamque felicitatem possidendam facta, ipsius summi Numinis gloriae quodam modo fit particeps. Summum vero pretium ipsi competit, quod, sanguine filii Dei redempta, ab ipso rerum omnium conditore magni habetur, et, dum Spiritus Dei illuminando, emen-

(s) Ex decreto Concilii Lateranensis A. 1215 celebrati, de quo vid. B. Caranzae Summa Conciliorum, p. 606.

(t) v. Unsch. Nachr. A. 1703. p. 312. Altes u. N. aus allen Th. der Gesch. P. V. p. 676.



emendando, regendo, roborando, consolando illius curam gerit, amoris diuini obiectum egregium est et primum.

Quod si igitur ex dignitate rerum, quibuscum actiones hominum occupatae sunt, praestantia laborum, qui peraguntur, et officiorum, quibus res administrantur, diiudicanda est: quo sint loco ecclesiae ministri habendi, inde cognoscitur, quod res curant, quibus nullae aliae pretio maiores, et officium ipsis impositum non hominum fortunas caducas, nec corpora breue tempus duratura spectat, sed id, quod Deo ipsi carissimum, proximum, pretiosissimum, animas aeternas, quarum causa orbis terrarum totus conditus est, et quas sapientia diuina prae aliis respicit. Propterea haud inconcinne in iure Canonico animarum regimen ars artium vocatur<sup>(u)</sup>, addita in Glossa Ioannis Andreae ad alium locum causa, quod anima sit pretiosior corpore.<sup>(v)</sup>

Ea vero de dignitate superbire, nos efferre et aliis praeferre, eo magis incongruum erit, quo maiori cum difficultate et periculo hoc coniunctum est animas curandi munus. Cum enim eae sui ipsarum curam non negligunt, sed auersantur, bonum, ad quod ducendae sunt, odio habent, interitum proprium quouis modo promouent, et iis renituntur semper, quae saluti conducunt: aliter haud esse potest, quam eorum plurimis difficultatibus obnoxium esse conatum, quorum est, vt animarum curam gerant, quae cum magno quoque periculo coniuncta est. Deus enim, qui nostrae curae aliorum animas commisit, ipsarum infortunium, si nostra culpa pereunt, nobis imputaturus est, et a nobis animarum deperditarum maxime seueram rationem exiget, eo quod illas ipse amat, et omnem in iis seruandis curam impendit.

Quo maiori vero pretio habendae sunt immortales animae, quoue maioribus difficultatibus id, quod in salute hominum promouenda versatur, munus expositum

) (

est;

<sup>(u)</sup> c. 14. X. de aetate et qualitate.

<sup>(v)</sup> ad Cap. I. de Praebend. et Dignit. in Vito.

est; eo maiori studio in id nitamur, vt simus animarum Curatores, qui eo nomine dignissimi inueniuntur. Hinc nobis laborandum, vigilandum, curandum est, vt animae aeternitati dicatae ornentur, perfectionibus maioribus imbuantur, ad Deum, fontem et originem suam, reducantur, et ad gloriam completam efferantur. Opus, quod nostrum est, indefesso studio docendo, admonendo, coarguendo, instando, poscendo et efflagitando exequamur, et non generatim solum, sed speciatim etiam cuiuslibet animae salutem quaeramus, quod Deus et speciatim cuiuslibet a nobis exiget rationem. Absit, tantum absit, vt in deperdito praesentis temporis statu, quo cum fortunis plurimi etiam perdere volunt animas, et omnia in peius ruunt, segnes et in procuranda salute animarum parum diligentes, moribus saeculi peruersis abripi nos patiamur, et iacturam propriarum animarum faciamus; vt potius maiori feruore incensi, quantum in nobis est, perniciiei obstitamus.

En Vobis adsum, meum qualemcunque laborem, curam, preces Vobis adiungendo, gloriam summi Numinis quaerendo et curam animarum quouis modo promouendo, quippe qui efficiam, vt in officiis conferendis, in commodis Vestris tuendis et vindicandis, in animarum cura colleuanda studium meum nunquam Vobis desit, potius vt cognoscatur, quacunq; occasione me rerum Vestrarum studiosissimum et bene de Vobis merendi cupidum esse.

Verum et Vos, Fratres, Collegas et Amicos, rogo, amore Vestro me recipere et complecti et Vestris precibus mihi adesse velitis, vt sic, animorum vnione et fraterni amoris vinculo constricti, gloria Dei, regnum Christi et salus animarum, vti a nobis fieri par est, promoueatur, amplificetur, procuretur, et, propriarum animarum ratione habita, nosmet ipsi aliquando coram tribunali diuino serui reperiamur, qui domini voluntatem cunctis ex viribus efficere annisi sunt.

Id

Id quod et Vobis, Rectoribus et scholarum Magistris, dictum esse volo, quorum est, vt animas, ipsorum fidei traditas, fingant, colant, ornent, et ita animarum Curatores itidem se praestent. Etsi enim *Ioannes Iacobus Rousseau*, cuius Geneuensis, in libro nuper edito et *Emil* inscripto, quo Vulcanum quaedam loca litasse scimus, iuuenem, quem erudiendum sistit, ad annum vsque decimum quintum, etiam decimum octauum vult ignorare se animam habere (x): id tamen ad paradoxa, quorum amantissimus est auctor, et incongrua, aut si grauius quicquam de eo dicere placeat, referendum esse, assertum putamus. Hoc enim modo machinae erunt iuuenes, aut animantia saltem ratione destituta, et mentis cultura, aut plane negligenda est, aut parum feliciter procedet, si facultates mentis plane ignorat is, cuius exornandae sunt. Ita quoque Deum vt cognoscat iuuenis, cauet, et vt Atheus maneat, efficit praeceptor; quod dictu horrendum.

Potius in iuuentutis institutione omnis ad animam cura redit, et scholarum finis est alius nullus, quam vt cognitione rerum salutarium imbuantur iuuenes, ad Deum deducantur, religionis principiis erudiantur, et ad salutem acquirendam praeparentur. Quanti, quaeso, hic labor faciendus, qui in exornandis animis versatur, et homines vt fiamus, efficit, qui fines, quibus destinati sunt, implere cogitant, quantique, quaeso, fructus in ecclesiam et rempublicam inde redundant?

Hoc vero perpendentes, eo maiori opera in id incumbent, vt suum exequantur officium, quo maiora sunt emolumenta inde prouenientia, et quo maiori dignitate hoc constitutum est munus in formandis animabus aeternis, quae similitudine quadam imaginem diuinam referunt, occupatum.

Eam igitur Vobis, Amici, curam commendo, Vosque obtestor, omnem vt adhibeatis operam, vt ii probe

) ( 2

insti-

(x) v. *J. I. Rousseau Emil*, L. IV. p. m. 240.

VD 18

PK 114 4142

X2978701

instituantur, a vitiis reducantur, virtutis amore imbuan-  
tur, quorum fortuna maxima ex parte ex Vestra pendet,  
cura, solertia, dexteritate, candore. Me quoque semper  
habebitis, quantum fieri potest, concitorem, spectatorem,  
testem, etiam si impigre opus, quod suscepistis, peragatur,  
laudatorem, et diligentiae Vestrae commendandae studiosum.

Quid superest, quam Deum vt rogem, velit me in  
demandato munere iuuare, et Vobis semper in negotiis  
sacris et saluti hominum conducentibus adesse? Nobis  
omnibus faueat, nosque foueat Spiritus sapientiae, vt of-  
ficium, ab ipso nobis commissum, ea exequamur diligen-  
tia, qua gloria nominis sui promoueatur, et eo animi fer-  
uore curam geramus animarum, quo propriam salutem  
procuramus. Summus Pater, qui preces nostras exaudit,  
Patriae Patrem, Regem et Dominum nostrum clementis-  
simum, Principem Regis hereditarium, Coniugem gratiosis-  
simam, totamque regiam domum protegat, sustentet, robo-  
ret, et, macte vt sint gratia, efficiat. Ad nos respiciant  
oculi Domini, et nostri misereatur Pater, qui calamitati-  
bus varii generis nos hactenus afflixit, pacem condonet,  
et benignitate sua vberima regionem nostram impleat.  
Quas preces Vobis confesco, semper futurus

VESTRORVM NOMINVM  
CLARISSIMORVM

Dabam Ziicauiae  
d. XXX Januarii, MDCCLXIII.

studiofissimus,  
Ioannes Gottfried Wellerus,  
Past. et Superint. Ziicau.

115





B.I.G.

Farbkarte #13

*Curatorum rerum sacrar. micristis  
in eulefia Romana dato*

# TERAE YCLIAE

II R  
4142

QVIBVS

SVPERINTENDENTIS  
EOS ZVICCAVIENSIS

SIBI DEMANDATO ET GRATIA  
IVINA ADIVVANTE,  
X. IANVAR. A. MDCCLXIII.

SVSCEPTO

ET PLVRIMVM REVERENDOS,  
OS ET NOBILISSIMOS, CLARISSIMOS  
ET DOCTISSIMOS,

ES ET DIACONOS,

NEC NON

RECTORES ET MAGISTROS,  
RATRES ET AMICOS DILE-  
S EIVSDEM DIOECESEOS,

RTIORES REDDIT,

OVAEVIS OFFICIA HSDEM OFFERENS

GOTTFRIED WELLERVS,

, ET SVPERINT. ZVICCAV.

IAE, TYPIS HOEFERIANIS.

BIBLIOTHECA  
PONICEAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SAALE)